

fugax contra insequentes: sed aduersum ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant: dorsoq; equitantum modo ipositi, hiantibus resupino capite ad mortuum, addita in os claua, dextra ac laeva tenentes extrema eius utrinq; , ut frenis in terram agunt captiuos; ac uoce etiam sola territos, cogunt euomere recentia corpora ad sepulturam. Itaq; uni ei in insula crocodili non adnatant: olfactuq; eius generis hominum, ut Psyllorum serpente, fugantur. Hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi uisus: quatuorq; menses hyemis inedia semper transmittere in specu. Quidam hoc unum quandiu uiuat, crescere arbitrantur: uiuit autem longo tempore. Maior altitudine in eodem Nilo belua hippopotamus editur: unguibus bifidis quales bubus, dorso equi, et iuba, et hinnitu, rostro resimo, cauda et dentibus aprorum, aduncis, sed minus noxijs; tergoris ad scuta galeasq; impenetrabilis, praterquam si humore madeat. Depascitur segetes, destinatione ante (ut ferunt) determinatas in diem, et ex agro ferentibus uestigijs, ne qua reuertenti insidia comparentur.

Quis primus Romae hippopotamum & crocodilos ostendit: & medicinae ab animalibus repertae. CAP. XXVI.

Primus eum et quinq; crocodilos Romae editatis suae ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit. Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magister extitit. Assidua namq; satietate obesus exit in littus, recentes harundinum castruras perspeculatus: atq; ubi acutissimum uidet stipitem, imprimens corpus uenam quandam in crure uulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, et plagam limo rursus obducit.

Quae animalia quas herbas ostenderunt, cerui, lacerti, hirudines, testudines, mustela, ciconia, aper, anguis, draco, panthera, elephas, ursi, palumbes, columbae, grues, coruus. CAP. XXVII.

Simile quiddam et uolucris in eadem Aegypto monstrauit, quae uocatur ibis: rostri aduncitate per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre est. Nec haec sola a mutis animalibus reperta sunt, usui futura et homini. Dictamum herbam extrahendis sagittis cerui monstrauere, percussi eo telo, pastuq; eius herba eiectione. Idem percussi a phalagio, quod est aranei genus, aut aliquo simili, caneros edendo sibi medentur. Est et ad serpentium ictus praecipua, qua se lacerti, quoties cum his conseruere pugna, uulnerati resouent. Chelidonium uisui celeberrima hirundines monstrauere, uexatis pullorum oculis illa medentes. Testudo cunila, quam bubulam uocant, pastu uires contra serpentes resouet: Mustela ruta, in murium uenatu cum ijs dimicatione conserta: Ciconia origano: edera apri in morbis sibi medetur, et caneros uescendo, maxime mari eiectione. Anguis hyberno situ membrana corporis obducta, feniculi succo impedimentum illud exiit, nitidusq; uernat. Exiit autem a capite pri-

um, nec celerius quam uno die ac nocte replicas, ut extra fiat membranae quod fuerat intus. Idem hyberna la tebra uisu obscurato, marathro herba sese affricans oculos inungit ac resouet: si uero squamae obtorpuere, spinis iuniperi se scabit. Draco uernam nauisem syluestris lactuca succo restinguit. Pantheras praefricata carne aconito (uenenum id est) barbari uenantur: occupat ilico fauces earum angor, quare pardaliches id uenenum appellauere quidam. At fera contra haec extremis hois sibi medetur: et alias tam auda eorum, ut a pastori bus ex industria in aliquo uase suspensa altius quam ut queat saltu attingere, iaculando se appetendoq; deficiat, et postremo expiret: alioqui uiuacitatis adeo lenta, ut eiectionis iteraneis diu pugnet. Elephas chamaeleonte cocolori frondi deuorato, occurrit oleastro huic ueneno suo. Vrsi cum mardragora mala gustauere, formicas labunt. Ceruus herba cinare uenenatis pabulis resistit. Palumbes, graculi, merulae, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: columbae, turtures, et gallinae, herba quae uocatur helxine: anates, anseres, ceteraque aquatica herba siderite: grues et similes iunco palustri. Coruus occiso chamaeleonte, qui etiam uictori nocet, lauro infestum uirus extinguit.

Prognostica animalium. CAP. XXVIII.

Milia praeterea, utpote cum plurimis animalibus eadem natura rerum, caeli quoque observatione, et uentorum, et uentorum, et pestatum praesagia, alijs alia dederit: quae persequi imensum est, et quae scilicet quae reliqua cum singulis hominum societate. Siquidem et pericula praemonet, non sibi modo extisq; , circa quae magna mortalium portio haeret, sed alia quadam significatione. Ruinis imminetibus musculi praemigrant, aranei cum telis primi cadunt. Auguria quidem arte fecere, apud Romanos et sacerdotum collegium uel maxime solenne est. In Thracia locis rigentibus, et uulpes, animal alioqui solerti auditu: amnes gelatos lacusq; non nisi ad pastus itura redituraeque, transeunt. Obseruatum eam aure ad glaciem apposita, coniectare crassitudinem gelus.

Ciuitates et gentes a minutis animalibus deletae. CAP. XXIX.

Nec minus clara exitum documenta sunt etiam ex cotinendis animalibus. M. Varro autor est, a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia: ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa: ex Gyaro Cycladam in insula incolas a muribus fugatos, in Italia Amyclas a serpentibus deletas. Citra Cynamolgos, Aethiopas late deserta regio est, a scorpionibus et solpugis gente sublata: Et a scolopendris abactos Treiensis, autor est Theophrastus. Sed ad reliqua ferarum genera redeamus.

De hyaena, et crocota, et mantichora, et fibris, et lutris. CAP. XXX.

Hyaenis utraque esse naturam et alternis annis matres, alternis feminas fieri, parere sine mare uulgius credit. Aristoteles negat. Collum et iuba continentate spina porrigitur, flectitq; nisi cum tactu totius

i ij tius